Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dio. sed sup candelabrum. ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus. ut videant opera vestra bona. et glorificent patrem vestrum qui in celis est. S.

In illo t. Dix. ie. d. t. d. s. luce. Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit. neque sub modio sed sup candelabrum. ut qui ingrediuntur lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex. totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit. etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est tenebre sint. Si ergo corpus tuum lucidum fuerit. non habens aliquam partem tenebrarum erit lucidum totum. Et sicut lucerna fulgoris illuminat

In illo t. Dix. ie. S. luce. bit te. i. d. s. Nemo lucernam accendens operit eam vase. aut subtus lectum ponit sed sup candelabrum. ut intrantes lumen videant. Non enim est occultum quod non manifestetur. neque absconditum quod non cognoscatur et in palam veniat. Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet dabitur illi. et quicumque non habet. etiam quod putat se habere auferetur ab illo. Venerunt autem ad illum mater et fratres eius. et non poterant adire eum pre turba. Et nunciatum est illi. Mater tua et fratres tui stant foris volentes te videre. Qui respondens dixit ad eos. Mater mea et fratres mea hii sunt qui verbum dei audiunt et faciunt.

Off. Veritas mea et misericordia mea cum ipso et in nomine meo exaltabitur cornu eius. Off. Inveni david servum meum et in oleo sancto unxi eum manus enim mea auxiliabitur ei et brachium meum confortabit eum. Co. Beatus servus quem cum venerit dominus invenerit vigilantem amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum. Co. Domine quinque talenta tradidisti michi ecce alia quinque super lucratus sum euge serve bone et fidelis quia in pauca fuisti fidelis super multa te constituam intra in gaudium domini tui. Co. Fidelis servus et prudens quem constituit dominus super familiam suam ut det illis in tempore tritici mensuram. Semel iuravi in sancto meo se Co. men eius in eternum manebit et sedes eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in eternum et testis in celo fidelis.

De virginibus Introitus. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem propterea unxit te deus deus tuus oleo letitie pre consortibus tuis. Ps. Eructavit cor meum verbum bonum dico ego opera mea regi.

Vultum tuum deprecabuntur Alleluia. regi. omnes divites plebis adducentur regi virgines post eam proxime eius afferentur tibi in letitia et exultatione. Ps. Eructavit cor meum verbum. Alleluia.

Gaudeamus omnes in domino diem festum celebrantes in honore N. martiris de cuius passione gaudent angeli et collaudant filium dei. Ps. Eructavit cor meum verbum bonum dico ego opera mea regi.

regi.